Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2747
Quelle:
Copyright:

quam plurimas exercuit. Ecclesias oppressas de faucibus hostium viriliter sepissime eripuit, ut inter cetera manifestum est, cum ecclesia aquilegen. opprimebatur grauiter a comitibus Goricie et quibusdam alijs molestatoribus et oppressoribus, ejusdem ven. pater dominus patriarcha aquilegen. (Bertrandus) *qui nunc est, invocauit brachium adiutorii istius gloriosi electi, qui statim relictis omnibus personaliter venit et hostes fugauit* &c. Sub finem rogatur Pontifex confirmationem celeriter impertiri: *quia nouit S. V. quod aduersarius sancte sedis et tocius ysrael ille fraudis commenta* (tor) *petra scandali bauarus* (Ludovicus) *hereticus non dormit ymo quasi leo rugiens circuit quem deuoret* &c. Pontifex, ut verbis *Benessii* utar, quae habes cum apud *Pessinam cit.* tum in Cl. *Dobneri Monum. Hist. Boem.* T. IV. p. 30. *die sequenti congregato sacro Collegio — resumpto eodem themate addidit, quod in textu Bibliæ continetur:* Si quis sedere debeat super solium tuum. *ostendens qualiter Imperium de Græcia per Sedem Apostolicam translatum fuit in Germanos; unde merito* (Arnestus) *dicere debuerat:* super solium tuum, *quod Reges et Imperatores Romanorum tam de jure, quam consuetudine jurare debent Sedi Apostolicæ reverentiam, obedientiam et fidelitatem.* Atque haec ex aevi sui sensu. Itaque

Fol. 142. p. 2. sequitur: *Collacio facta per dominum Clementem papam sextum in approbacione Caroli in regem romanorum electi die Lune VI. mensis Nouembris Anno domini M°. CCC°. XLVI. pontificatus nostri anno quinto.* Neque prolixum hunc Sermonem, ut jam monui, in publicum hactenus prolatum putem. Incipit: *Salomon sedebit super solium meum et ipse regnabit pro me, Illique precipiam, ut sit dux super Israel. 3. Reg. 1. Sicut audiuistis nuper* (heri) *per archiepiscopum pragensem proponendo negocium karissimi filij nostri karoli in regem romanorum electi* &c. Per decursum instituitur *Salomonem* inter et *Carolum* comparatio, carpitur *Ludovicus Bavarus*, et potestas Pontificia in Reges mirum quantum extollitur. Ad calcem legitur: *Verba autem approbacionis fuerunt hec. Ipsum declaramus denunciamus nominamus Regem Romanorum in Imperatorem annuente domino promouendum ipsius approbantes personam, decernimusque sibi debere impendi de manibus nostris consecrationem et vnctionem et imperiale dyadema loco et tempore opportunis, supplentes nichilominus de plenitudine potestatis omnem defectum, siquis forte in electione predicta interuenit siue ratione persone siue ratione electionis offerentes nos recipere fidelitatis nobis debite et obediencie cuiuslibet alterius iuramentum.*

Fol. 150. *Sequitur Collatio in erectione ciuitatis pragen. in metropolim et aliarum duarum Villarum in ciuitates vnius in bohemia alterius in hyspania, quam ceperat rex castelle alphonsus vocata algisilla. Anno secundo pontificatus nostri vltima*